

Stephanum, & præcipitaverint Sanctum Jacobum; quia tumultuario, atque subito furore prædictos Sanctos interfecerunt; dissimulante Præfide Romano eorum facinus; et si Josephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. alius 16. asserat, Ananum privatum fuisse Pontificatum, eod quod iussisset occidi Sanctum Jacobum; quod notat etiam Magri in dict. Opusc. Contradictionum S. Scripture in Joann. cap. 18. vers. 31.

Tandem pro complemento materiæ tangentis dignitatem Pontificiam Hebræorum, placet hic annectere Catalogum Summorum Pontificum, qui eam obtinuerunt ab Aarone usque ad desolationem Templi; & Jerusalem factam à Tito Vespasiano anno 67. à Nativitate Christi.

CATALOGUS PONTIFICUM

HEBRÆORUM.

- 1 Aaron frater Moysis, & filius Caath de tribu Levi.
- 2 Eleazarus filius Aaronis.
- 3 Phinees filius Eleazari.
- 4 Abiue filius Phineæ.
- 5 Bocci filius Abiue.
- 6 Ozi filius Bocci.
- 7 Zararias filius Ozi.
- 8 Merajoth filius Zarariæ.
- 9 Amarias filius Merajoth; post quem Pontificatus ablatus fuit à posteris ejus, & à progenie Eleazari filii Aaronis, & translatus fuit in posteritatem Ithamati alterius filii Aaronis, ob negligentiam descendendum ab Eleazaro in erudiendo Populo legem Dei. Itaque
- 10 Heli descendens è stirpe Ithamari secundi filii Aaronis.
- 11 Achitob Nepos Heli.
- 12 Achias, dictus etiam Achimelech filius Achitobi.
- 13 Abiatar filius Achias; quem Salomon deposuit ob negligentiam in suo munere, substituto Sadoch de stirpe Eleazari filii majoris Aaronis.
- 14 Sadoch de stirpe Eleazari prædicti.
- 15 Achimaas filius Sadochi.
- 16 Azarias filius Achimaati.
- 17 Joannam filius Azariæ.
- 18 Ius filius Joannami.
- 19 Axioram filius Ius.
- 20 Phideas filius Axiorami.
- 21 Jojadas filius Phideæ.
- 22 Zacharias filius Jojadæ.
- 23 Joannam II. Filius Zachariæ.
- 24 Azarias II. filius dicti Joannami.
- 25 Amarias filius Azariæ.
- 26 Achitob II. filius Amariæ.
- 27 Sadoch II. filius Achitobi.
- 28 Sellum dictus etiam Salom, & Saldus filius Sadochi.
- 29 Elcias filius Sellumi, cujus loco se intrusit Sobnas.
- 30 Eliacim filius Elciæ, pulso Sobna intruso.
- 31 Azarias III. filius secundogenitus Helciæ, defuncto Eliacimo absque liberis.
- 32 Sararias, seu Sareas filius Azariæ, occisus à Nabuchodonosor anno excidii Ierosolymitani.
- 33 Josedech filius Sarariæ, mortuus in exilio.
- 34 Jofus, seu Jofue filius Josedechi, sub quo cepit reedificari Templum.
- 35 Joachim filius Jofue.
- 36 Eliafib filius Joacimi.
- 37 Jojadas II. filius Eliafibi.
- 38 Jonathan filius Jojadæ.

- 39 Jeddo, seu Jodus filius Jonathani. Hic obviam ivit Alexandro Magno; eumque Judæis conciliavit; eoque frater Manasses fuit primus Pontifex Templi Samaritani in monte Garizim; de quo diximus supra Decis. XII. num. 40.
- 40 Onias Prifcus filius Jeddoæ.
- 41 Simon Oniæ filius, cognominatus Justus.
- 42 Eleazarus II. frater Simonis; quia ejus filius erat puerulus. Hic misit 72. Interpretes ad Ptolemæum Regem Ægypti.
- 43 Manasses Patruus Eleazari.
- 44 Onias II. filius Simonis Justi.
- 45 Simon II. filius Oniæ.
- 46 Onias III. filius Simonis II. cognomento Sanctus, qui impetravit veniam Heliodoro flagellato ab Angelis.
- 47 Jalon frater Oniæ III. qui ab Antiocho emit Pseudopontificatum.
- 48 Menelaus Onias, non soluta pecunia jussu cedere Pontificatum fratris.
- 49 Lyfimachus frater Menelai, qui pecuniam solvit.
- 50 Mathathias Sacerdos de Vice Joarim, de Afamonzorum Prospapia; de eadem stirpe Eleazari, & Aaronis. 1. Machab. 2. 1.
- 51 Judas Machabæus filius Mathathias.
- 52 Jonathas frater Judæ.
- 53 Simon frater Jonathæ.
- 54 Joannes Hyrcanus filius Simonis.

Sequentes fuerunt Pontifices, ac Reges.

- 55 Aristobolus filius Joannis Hyrcani, qui primus Diadema sumpsit.
- 56 Alexander Jannæus frater Aristoboli.
- 57 Hyrcanus II. Primogenitus Alexandri.
- 58 Aristobolus II. Secundogenitus Alexandri, qui spoliavit Hyrcanum Pontificatu; sed Hyrcanus auxilium Romanorum Pontificatum recuperavit.
- 59 Antigonus Secundogenitus Aristoboli II. Hic tenuit Pontificatum, & Regnum per annos quatuor; deinde jussu M. Antonii securi percussus. Regnum transit ad Herodem Idumæum, Pontificatus autem ad Ananelum.
- 60 Ananelus, Sacerdos quidem de stirpe Aaronis, sed conditione ignobilis, ab Herode promotus, Salian. ad Annum Mundi 4018. num. 4. & 5. Sed paulo post depositus.
- 61 Aristobolus III. nepos Hyrcani; contra quem iterum infutrexit, & Pontificatum obtinuit Ananelus.
- 62 Jelu Phabetis, ignotæ originis. Salian. Ann. 4030. num. 8. quem Herodes deposuit, ut promoveret Simonem Patrem Mariamæ ab eo desponsatæ.
- 63 Simon Socer Herodis, sub quo Pontifex natus est Christus.
- 64 Matthias filius Josephi ad Annum.
- 65 Joazarus filius Simonis ad Annum.
- 66 Jofus filius Siæ ad Annum.
- 67 Joazarus iterum ad biennium.
- 68 Ananus Sethi filius annis decem.
- 69 Ismael Fabi creatus à Valerio Grato Præfide Judææ ad Annum.
- 70 Eleazarus filius Anani ad Annum.
- 71 Simon filius Camithi ad Annum.
- 72 Josephus Capphas promotus ab eodem Præfide Valerio Grato.
- 73 Jonathas Anani filius substitutus Capphæ à Vitelio Præfide.
- 74 Simon filius Boethi.
- 75 Matthias filius Anani promotus ab Agrippa.
- 76 Elionæus filius Cithæi.

- 77 Simon Boethi iterum.
- 78 Ananias filius Nebedæi, de quo Alier. cap. 23. & 24.
- 79 Ismael Fabæi.
- 80 Josephus Canai iterum.
- 81 Ananus filius Anani.
- 82 Jofus filius Damnæi.
- 83 Jofus filius Gamalielis.
- 84 Matthias filius Theophili.
- 85 Phanasius Rusticus, qui fuit ultimus inter Hebræicos Pontifices; siquidem ejus Pontificatus anno quarto capta fuit Ierosolyma à Tito; anno à Nativitate Christi 70. & sub ruinis Urbis, & Templi sepulta est Dignitas illa Pontificia in pœnam tot, & gravium facinorum, quibus rei facti erant, qui ea fugebantur, tunc in transgressione Divinæ legis, tum in transgressione CHRISTI; de quibus omnibus Torniel. & Salian. in suis Annaliis, & Ricciolius in Chronolog. Reform. d. tom. 1. lib. 6. cap. 13. & tom. 3. part. 1. Catalog. V.

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

De Sacerdotibus Aaronicis, & eorum divisione in 24. Vices, seu Classes. Qui, & Quot essent Principes Sacerdotum? Relatio cujusdam Hebræi, quod CHRISTUS Adolescentem fuerit à Senioribus scriptus in numero Principum Sacerdotum. Quibus cæremonis consecrarentur Sacerdotes Hebræi? Quibus, & quot Vestibus iidem uterentur in Sacrificiis? Quæ vestigia, & munia Sacerdotum Aaronicorum? Quo tempore, qua ætate, quibus requisitis ministrabant in Templo? Cur tecto capite, & nudis pedibus? Quid esset scindere Vestes? Alimenta Pontificum, & Sacerdotum Hebræorum unde desumpta?

SUMMARIUM.

- 1 Sacerdotes Aaronici alii erant majores, & dicebantur Principes Sacerdotum; & alii erant minores.
- 2 Nadab, & Abiu filii Aaronis cur occisi à Deo intra Tabernaculum? & num. 34.
- 3 Sacerdotium Aaronicum erat in descendentiis ab Eleazaro, & Ithamaro filii Aaronis.
- 4 Sacerdotes divisi in 24. classes, seu vices à Rege David.
- 5 Historia cujusdam Theodosii Hebræi tempore Justiniani Imperatoris, qui asserbat vidisse Codicem perietustum, in quo Christus notatus fuerat, dum esset juvenis, inter Principes Sacerdotum, & num. 6.
- 7 Cæremonia, quibus consecrabantur minores Sacerdotes Hebræorum.
- 8 Episcopi dum consecrantur, oleo Sacro liniuntur in capite.
- 9 Sacerdotum Aaronicorum manus an Oleo Sancto ungerentur in eorum consecratione?
- 10 Cæremonie in consecratione Sacerdotum prædictorum. Utrum reiterarentur omnes singulis septem diebus?
- 11 Vestes quasdam induerent Sacerdotes Aaronici in eorum consecratione?
- 12 Tunica Sacerdotum Hebræorum pro sacrificio an esset albi coloris.
- 13 Vestes CHRISTI Domini cujus coloris fuerint?
- 14 Emanuel Paleologus Imperator Orientis donavit partem Vestis Salvatoris nostri anno 1400. Hen-

- rico Regi Castilia. Eadem ubi nunc servetur?
- 15 Christophorus Columbus magnus Argonauta, ubi, & quando mortuus, & sepultus?
- 16 Epitaphium Christophori Columbi.
- 17 Coloris violacei quare sint Vestes Episcoporum, & Clericorum Seminarii? aliorum autem nigri.
- 18 Vestium Sacerdotum Hebræorum numerus, & forma.
- 19 Vestes Redemptoris nostri quæ, & quot essent?
- 20 Fæmoralia an portarentur à Judæis?
- 21 Officia, & munia Sacerdotum Hebræorum quæ, & quot? ubi sexdecim eorum obligationes.
- 22 Docere populum Dei non solum spectabat ad Sacerdotes, sed etiam ad Levitas.
- 23 Doctrinam Christianam docentibus pueros concessisse sunt Indulgentiæ multa à Summis Pontificibus.
- 24 Summus Pontifex Hebræorum exercere poterat omnia ministeria aliorum Sacerdotum.
- 25 Sacerdotes Hebræi pro libito, sed in sua hebdomada tantum ministrabant in Templo.
- 26 Sacerdotibus prædictis forte assuebantur ministeria explenda in Templo in eorum hebdomada.
- 27 Sacerdotes Aaronici septem continuis diebus habebant in Templo, morantes in exedris, & cubiculis ejus.
- 28 Sacerdotes in lege Moysis non ministrabant in Templo, nisi initiati, & consecrati.
- 29 Ætas triginta annorum requirebatur in consecratione Sacerdotum, & in Prædicatoribus.
- 30 Christus, ac S. Joannes Baptista cur cæperint predicare solum in ætate annorum triginta?
- 31 Ætas pro Summo Pontificatu Hebræorum erat annorum 40.
- 32 Irregularitates Sacerdotum Aaronicorum quales?
- 33 Irregularitas ex defectu corporis à quo tempore sit introducta in Ecclesia?
- 34 Castitas necessaria in Sacerdotibus Hebræis ingressurus Tabernaculum, ac Templum, atque absentia à Vino.
- 35 Sacerdotes Hebræi sacrificabant aperto capite. Et cur nostri capite aperto?
- 36 Capite cooperto non licet celebrare Missam, neque ex dispensatione Episcopi.
- 37 Pileolus in celebratione Missæ à solo Papa concedendus.
- 38 Perucca an possit teneri à Sacerdote Missam celebrante?
- 39 Chineses Sacerdotes celebrant tecto capite. Et cur nostri cum calcæis?
- 40 Sacerdotes legis antiquæ nudis pedibus in Tabernaculo, & Templo ministrabant.
- 41 Vestes scindere erat prohibitum Sacerdotibus, ac Pontificibus Hebræis.
- 42 Vestes scindere erat signum magni doloris.
- 43 Vestes scindere quomodo erat possibile apud Hebræos? Et quid esset scindere Vestes?
- 44 Alimenta Pontificum, & Sacerdotum Hebræorum à sex fontibus desumebantur. Et qui?
- 45 Primitiæ in quo differant à Decimis?
- 46 Primitiarum quota pars daretur Sacerdotibus?
- 47 Primitiæ omnium animalium, atque hominum erant Deo offerenda in lege Mosaicæ.
- 48 Sictus Hebræorum valebat libras quinque de ministrantibus.

Declaratis iis, quæ spectabant ad personam Summi Pontificis Hebræi; oportet explicare ea, quæ atinebant tum ad alios Principes Sacerdotes, tum ad inferiores Sacerdotes. Quapropter sciendum est omnium Sacerdotum Aaronicorum hanc fuisse divisionem, ut alii essent Principes Sacerdotum, seu Sacerdotes majores; alii verò Sacerdotes minores, & ordinarii. Pro intelligentia repet-

tendum est, Aaronem habuisse quatuor filios: *Nadab, Abiu, Eleazarum, & Ithamarum*. Duo primi sunt in Tabernaculo, à Deo igne afflati occisi in penam inobediendiæ, quam commiserunt sine temeritate à vino, five ex inconsideratione, aliay de causa, quam examinat Cornel. à Lap. ibid. Remaserunt alii duo filii Aaronis Eleazarus, & Ithamar, in quorum stirpe, & descendentiis Deus voluit Sacerdotium permanere, exclusis ab eo cæteris de Tribu Levitica. Ab his duobus stirpibus propagati omnes Sacerdotes tempore Regis David, dividebantur in duos columnellos, seu familias; alii enim vocabantur *Eleazari*, descendentes scilicet ab Eleazaro, quorum Princeps erat *Sadoc*; & alii dicebantur *Ithamarite*, proficientes ab Ithamaro; horumque caput erat *Achimeloch* filius Abiatharis tunc temporis Summi Pontificis. Verùm quia ob multiplicem numerum Sacerdotum confuso oriebatur in Sacrificiis, & functionibus sacris, David Rex, ex Dei iussu, fecit numerare omnes Sacerdotes per eorum Principes *Sadocham, & Achimelechum*, illosque distribuere, ut innuimus supra *Decif. XXII. num. 24.* in viginti quatuor Classes, seu Sortes, familias; & vices, quarum sexdecim fuerunt de descendentiâ Eleazari numerosiori; & octo de propagine Ithamar miuus secunda; & his omnibus classibus, sortibus, vicibus, & familiis viginti quatuor deputatus est proprius Prælat, videlicet unus Sacerdos ex nobilioribus, qui assumpsit nomen Principis; itaut in posterum semper fuerint viginti quatuor Principes Sacerdotum, ut legitur *1. Paralipom. 24. Vers. 5. ibi: Porro divisit utraque inter se familias sortibus; erant enim Principes Dei tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar.* Quo loci sic commentatur *Corn. à Lapid. Erant 24. familie Sacerdotales: & queque suam habebat Principem, puta Primogenitum, qui in Vice sua omnibus præerat; omniaque in Templo dirigebat: quare erat ipse Summus classis sue Sacerdos; idèquè vocabatur Pontifex. Erant ergo viginti quatuor Pontifices, sive PRINCIPES Sacerdotum; de quibus in Evangelio cætera est mentio, sed bis omnibus eminebat, & præerat Summus Pontifex, scilicet Sadoc.* Et idem ex *Abulenfi, Tostato, & Seratio* referunt *Torniel. ad Annum Mundi 3020. num. 5. & Salianus ad Annum 3021. num. 24.* & nos diximus supra in anteceden. *Decif. XXII. num. 24.*

Hi igitur erant Sacerdotes majores, & Principes Sacerdotum; à quorum nutu, & directione pendebant Sacerdotes minores, tum in sacrificiis, tum in aliis functionibus spectantibus ad Templum, & ad Divinum cultum; & ipsi Principes assidebant in Conciliis unâ cum Summo Pontifice, exercentes auctoritatem, & Jurisdictionem in concernentibus Legem, & traditiones Seniorum. Sed præter prædictos, erant etiam alii Sacerdotes, qui Principes vocabantur, videlicet septem Sacerdotes, à quibus illud Templi custodiebantur, adeo ut nemo eorum illos aperire possit, nisi unâ omnes adessent. Item tres alii Prædicti sacro ætario, qui Thesaurarii vocabantur, ac alii, de quibus supra *Talmodicorum* relationes differit *Petrus Cænæus de Republica Hebræorum* *lib. 2. cap. 6. & cap. 7.* ubi alios quoque fuisse Principes Sacerdotum ostendit, qui ob eminentem scientiam in *Sanhedrin*, id est in Concilio sepugnanti duorum Judicum assiduebantur, ultra alia capita primorum quarundam familiarum, quibus nomen Principis erat concessum, ut notat etiam *Tirinus in Matth. Vers. 4.*

Horum Principum Sacerdotum occasione fas mihi sit hoc in loco referre narrationem quamdam, existentem penes *Chassanzum in Catalog. Glor. Mund. part. 4. confid. 6.* excerptam, ut ipse ait, ex *Lactantio*, & ex *Petro de Lesanderie in suo*

tractatu de Doctõibus par. 4. quæst. 86. videlicet, tempore Justiniani Imperatoris, fuisse quemdam Hebræum nomine Theodosium, utarescens, Principem Sacerdotum, Rabbinum in sua lege doctissimum; qui hortatus à quodam Christiano Philosopho de Aula Imperatoris, ut fidem Christianam amplecteretur, cujus veritatem ipse Theodosius ob suam scientiam ignorare non poterat; respondit, eam non amplectere non ex inficitia, sed ne divitias, & honores perderet; quippe certus erat, Christum Dominum esse verum Messiam, & Filium Dei, conceptum de Spiritu Sancto, atque naturam de Maria Virgine; idque legisse in codice pervetusto, occultè, & diligenter servato Tyberiadè apud Hebræos, qui quidem Codex, & liber erat in Jerusalem apud Summum Pontificem, dum viveret JESUS CHRISTUS Dominus noster; & in eodem scribebantur, & notabantur nomina omnium Principum Sacerdotum, qui pro tempore erant electi; inter quos numeratus etiam erat ipse CHRISTUS. Siquidem defuncto, dum ipse CHRISTUS esset juvenis, uno ex Principibus Sacerdotum, cùm in Concilio Seniorum esset diffidius circa electionem alterius, fuit ab uno eorum nominatus, & propositus JESUS CHRISTUS tamquam adolescens nobilis, pius, & omnium virtutum genere eximius; & in eum omnium electorum vota convenerunt. Pro describenda autem ejus parentela, vocantur *Disparam Mariam*; à qua juxta interrogations sibi per eos factas citata Tribum, & Patrem, intellexerunt, CHRISTUM Dominum non esse Josephum procreatum; sed de Spiritu Sancto ab ipsa genitum, prævia Archangeli annuntiatione, sine fine Virginitatis detrimento; & ita annotantur tunc Seniores in illo codice; & sic in eodem annotatum reperisse, & vidisse testatur antedictus Theodosius Judæus, subdens, sublatum fuisse scrupulum Seniorum Templi, quod CHRISTUS non esset de stirpe Aaronica, sed de Tribu Juda; ex eo quia hæc duæ Tribus Sacerdotales, & Regia à multis annis ante fuerant simul commixtæ; itant illicitum illis tunc non foret, describere JESUM CHRISTUM inter Principes Sacerdotum. Hæc futus narrat *Chassanzus*, ubi supra, & novissimè *Donatus Calvi in Proppinomio Evangelico Resolut. 5.* Quibus quanta fides sit præstanda, prudenti Lectori relinquimus decidendum; quem recogitare non pigebit ea, quæ scripsimus supra *Decif. VII. à num. 21.* & seqq. circa genealogiam Redemptoris; qui quidem non fuit Sacerdos Aaronicus, nequede stirpe Aaronis; sed Sacerdos secundum ordinem Melchisedech de Regia stirpe Judæ, & David, unctus ab æterno suo Patre oleo Divinitatis, ut ex professio differunt supra in *dist. Decif. VII. num. 24. & num. 26.*

His de Principibus Sacerdotum notatis, videntum est de Sacerdotibus inferioribus; & circa istos tria sunt breviter examinanda, videlicet eorum consecrationem, vestimenta, & officia. Quod ad consecrationem servabantur omnes ritus, & ceremoniæ, quibus Summus Pontifex consecrabatur, de quibus diximus supra *Decif. XXII. numer. 13.* excepto quod Summus Pontifex ungebatur oleo, & unguento sacro in capite, ibidem illo profuso per consecretorem; inferiores verò Sacerdotes hanc unctionem non recipiebant, quia eorum caput non ungebatur; sed lotis corporibus, induebantur femoralibus, tunica lineæ, cingulo, atque tistat; & immolatis tribus sacrificiis Vituli pro peccato: Arietis unius in holocaustum; & alterius Arietis pro hostia pacifica; cum sanguine hujus hostiæ ungebatur extremum auriculæ dextere Sacerdotum; nec non eorum pollex manus dextere, & pollex pedis dexteri, factaque asperione vestimen-

stimentorum Sacerdotium cum eodem sanguine mixto cum oleo, & unguento sacro, & per manus eorumdem Sacerdotum oblatis Deo interioribus; & carnibus sacrificii, consecretur eorum consecrati; ad cuius exemplar Ecclesia Catholica à Spiritu Sancto erudita in consecratione minorum Sacerdotum, solas eorum manus oleo sacro injungit; in consecratione verò Episcoporum etiam eorum caput sacro Christmate mandat liniri. *capit. unico. De Sac. Unction. ubi Hostiens. Barr. Joan. Andr. & Abbas. Et de earundem unctionum mystica significatione agit Durand. in Ration. Divin. offic. lib. 2. cap. ultim. Barbosa de Offic. Episcop. part. 1. tit. 1. cap. 5. à num. 10. & seqq. & Pax Jordan. tom. 1. lib. 3. tit. 1. à num. 24. & seqq.*

Porro circa prædictam Sacerdotum consecrationem duo oriuntur dubia. Unum est, an in eorumdem Sacerdotum consecratione manus ipsorum oleo sacro ungerentur? Pro affirmativa facit textus Sacer in *Exod. cap. 29. Vers. 36.* ubi Deus dixit Moy-
si: *Septem diebus consecrabis manus eorum.* Quo loci ait *Cornelius à Lapide: Præcipitur hic, ut in Consecratione Sacerdotum per septem dies hæc quatuor quotidie fiant. Primum ungiatur manus Sacerdotum. Secundò immolaretur vitulus. Tertio mundetur Altare. Quarto Altare ungiatur.* Ergo manus Sacerdotum ungebantur oleo sacro in consecratione; & ita sentit *Cajetan. in 3. Reg. cap. 13. & in Judic. cap. 17.* Pro negativa facit, quod in textu hebræo *dist. cap. 29. Exod. Vers. 36.* legitur *ידו מלח*, quod versio latina dicit *consecrabis*: proprie tamen significat *implebis*; idè jussit Deus Moyse consecranti Sacerdotes, ut septem diebus *impleret manus eorum*, scilicet ponendo super illas adipem, & carnes victimarum tum immolatarum, ut eas Domino offerrent; non autem ungeret eorum manus oleo sacro; nam manus Sacerdotum dicebantur consecrari per superimpositionem carnum oblata-
rum in Sacrificio; ut legitur *Num. cap. 3. Vers. 3. Judic. cap. 17. Vers. 5.* & *1. Reg. 12. nec non 3. Reg. cap. 13. Vers. 33.* Ergo Sacerdotum manus consecraban-
tur per impletionem oblationum; sic enim incipiebant novelli Myrtæ Sacrificia offerre, & mittebantur in possessionem oblationum, ut ajunt *Lyrus. Abulen. Oleaster, & Lippomanus*, quos citat, & sequitur *Barradas in Itinerar. filior. Israel lib. 5. cap. 15.* ubi in fine subdit: *Hec opinio mihi videtur probabilior, quam verbum ipsum Impleo indicat.* Implebantur namque manus Sacerdotum carnibus sacrificiorum. Numquam autem legitur, impletas esse oleo; prima enim die, qua maxime oleo essent implende, unctus tantum est pollex dextere manus, ut diximus.

Alterum dubium est, an omnes prædictæ ceremoniæ, lotionis scilicet totius corporis, unctionis auriculæ, & pollicis tum manus, tum pedis, nec non asperio vestium cum sanguine Arietis, fierent reiteratò omnibus septem diebus, vel tantummodo die prima? Cajetanus in *Levit. cap. 8.* ait: *Relege caput viginti nonum, & invenies, quod omnes ceremoniæ prædicte consecrationis, repetende erant singulis diebus; & idem sentire videtur Joseph. lib. 3. Antiquit. cap. 9.* Contrarium tamen tenent *Abulenfi in Exod. cap. 29. post quæst. 18. Barrad. dist. lib. 5. cap. 15.* & *Salian. ad annum Mundi 2545. num. 22.* advertentes, quod sola prima die fiebat unctio Sacerdotum prædicta, reliquis autem sex diebus maclabantur victimæ; in quarum oblatione novi Sacerdotes adhibebantur; & ex hoc colligunt idem Doctores, quod Sacerdotes iniciandi stabant continuis septem diebus in atrio Tabernaculi, five Templi, commemorantes in excoriis, cubilive ibidem fabricatis; ad quos ferebantur cibi quotidie; & inde vasa cum for-
dibus efferebantur, ne contaminaretur locus fa-

cer. Et hæc de Sacerdotum Aaronicorum consecratione.

Quò ad Vestes, quibus Sacerdotes induebantur in eorum consecratione; erant quatuor primæ, quibus vestiebatur etiam Summus Pontifex, nempe *Femoralia, tunica striata, Zona, five Balteus, & Tiara*; de quibus tractat *Barrad. in Evang. tom. 2. lib. 3. cap. 49.* & *Torniellus ad Annum Mundi 2544. à num. 78. & seqq.* ubi disputat, utrum Tunica prædicta fuerit omnino alba, vel potius, quibusdam velut oculis, eorum varietate distincta? Et concludit, credibile esse quod fuerit omnino alba, ut sæpius lavari possit; eo quia Sacerdotes in cadendis victimis, frequenter eorum sanguine aspergerentur. Concordat *Ivo Carnotensis de Rebus Ecclesiasticis sic scribens: Minoribus Sacerdotibus neque Duplex Tunica datur, neque humeralis, neque Rationale, neque lamina aurea; sed tantum Foderis, & Mytra, & Zona, qua stringat Tunica ulla, quæ verba referens Octav. Ferrarius de Re Vestitua part. 2. lib. 3. cap. 5. subdit: Hæc tunica linea vestitur, quod talaris esset, dicebatur; & Alba à colore. Nam antiqui utebantur Vestibus albis, ut demonstrat idem Ferrarius d. part. 1. lib. 1. cap. 33. & lib. 3. cap. 10. Quòd confirmatur, quia Hebræi solebant frequenter lavare vestes suas ad expiandas legales immunditias, quas de facili contraherent; & idè apud ipsos magna erat multitudo sillorum; quorum ars erat lavare Vestes, eaque albas, & nidas reddere; & de his mentio habetur in *4. Reg. ca. 18.* & in *Isai cap. 7.* & *cap. 36.* atque in *Evang. Marci cap. 9.**

Porro vestes Domini nostri JESU CHRISTI fuisse coloris cærulei, & quasi violacei deducitur ex particula balthæi, quæ ipse Redemptor utebatur, custodita Vesonij (quæ est Urbs Gallie Lugdunensis, nunc Comitatus Burgundie) in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ, & ex alia particula Vestis ipsiusmet SALVATORIS, quæ donatus fuit Henricus Rex Castellie anno Domini 1400. ab Emmanuele Paleologo secundo, Imperatore Constantinopolitano, in cujus litteris patetibus ita legitur: *DEDIMUS ENIM IPSI ILLUSTRISSIMO REGI PARTICULAM VESTIMENTI NOSTRI REDEMPTORIS, quasi blavi coloris; ex eo scilicet vestimento, cuius similitudinem tangens mulier a fluxu sanguinis est sanata.* Color blaveus idem est cæruleus, ut testatur S. Birgitte in *lib. 1. Revelat. cap. 31.* ubi vidit *Reginam Cæli, Matrem Dei, habentem pretiosam coronam inestimabilem in capite suo; & capillos extensos super spatulas admirabilis pulchritudinis; Tunicam auream splendore indicibili coruscantem; & Mantellum blaveum de lazuro, seu sereni cæli coloris.* Antedictam partem Vestis Redemptoris servant Patres *Carthusiani*; (referentibus *Magrio in suo Hierolexic. Verb. Birrus. Col. 4. & Scilogo tom. 3. in Cantic. Vestig. 32. scilicet. num. 33.* & *Menchio in Storis Centur. 9. cap. 69.*) in eorum Ecclesia Sanctæ Mariæ de Arriago Diocesis Vallisoletanæ. Est autem Vallisoletum Urbs Castellæ veteris; in qua Ann. 1506. die Jovis 20. Maji obiit *Christophorus Columbus*, magnus ille Argonauta, qui primus Indiam Occidentalem, seu Americam detexerat Anno 1492. cujus corpus translatum fuit *Domenico Polino* in America ex ipsius mandato; ubi tale Epitaphium ad ejus sepulchrum (ut refertur à *Jeanne de Castellanis in suo tractatu de Viribus Illustribus Indie*) fuit insculptum.

Hic locus abscondit præclari membra Columbi, Cujus præclarum nomen ad ætra volat. Non satis unus erat sibi mundus notus; at Orbem

Ignorat præcis omnibus ipse Adit. Divitias summas terras dispersit in omnes, Atque animas Cælo tradidit innumeratas.

Invenit campos divinis legibus aptos;
Regibus in nostris prospera Regna dedit.
 Et quoniam cærulei coloris erant Vestes Redem-
 ptoris, hinc est quod in primitiva Ecclesia omnes
 Clerici vestibus coloris violacei utebantur, juxta
 observationem Emlin. Card. Baronii Anni 1393. at
 successit color niger postquam Monachi ad ordines,
 & ad Sacerdotium coepert promoveri, sic eorum
 modestia, & mundi contemptu dictante, ut ait S.
 Hieronymus in Epist. 22. Et in Epitaph. S. Marcel-
 li. Retentus autem fuit color violaceus in vesti-
 bus Episcoporum, nec non familiarium Papæ, &
 in Clericis Seminariorum, ne omnino usus perve-
 tus aboleretur. Magrius in Hierolexic. dist. Verb.
 Birrus.

Occasione autem Vestium Sacerdotum Hebraico-
 rum investigabit curiosus Lector, an ipsi antedictas
 tantum quatuor Vestes induerent, vel etiam alias?
 Et an ubique eas deferrent? Respondetur, dum li-
 terent, & in actuali ministerio Sacrificiorum Ta-
 bernaculi, atque Templi essent Sacerdotes Aaroni-
 ci, necessarij indebantur fœmoralibus, tunica, bal-
 teo, & Tiara, de quibus supra. Extra autem func-
 tiones Sacerdotales, certum est, quod utebantur
 etiam pallio; illud supra tunicam deferentes; nam
 legitur in lib. Numeri cap. 15. Vers. 37. quod Di-
 xit Dominus ad Moysen: loquere filiis Israel, & dices
 ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum;
 ponentes in eis vitas hyacinthinas. Igitur sicut exterius
 portabant pallium; ita subtus tunicam creden-
 dum est, eosdem induisse interulam, seu camisiam
 thoracem, braccas cum calceis, & ideo scriptum
 est, quod iussu Nabuchodonosoris Regis tres pueri,
 vinci cum bracijs, & Tiarijs, & calcamentis missi
 sunt in medium fornacis ignis ardentis. Dan. cap. 3.
 Vers. 21. Et Redemptorem nostrum præter tunicam
 inconfutibilem, quam sibi Deipara Virgo, ejus Ma-
 ter illi formaverat suis manibus in modum subocu-
 læ, (ut est communis Patrum traditio, & ipsa re-
 velavit S. Birgitæ lib. 7. Revel. cap. 8.) & præter
 tunicam, & Pallium, solum fuisse portare thora-
 cem laneum, sive lineum, & fœmoralia cum cal-
 ceis, opinatur Barradas in concordant. Evangel. tom.
 4. lib. 7. cap. 12. ad illa Verba: Diviserunt sibi ve-
 stimenta ejus. Quod congruit Verbis Evangelicæ
 Joannis cap. 19. Vers. 23. dicitis: Milites ergo cum
 crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fe-
 cerunt quatuor partes; unicuique militi partem, &
 tunicam. Erat autem tunica inconfutibilis, de super
 contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem, non
 scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Qua-
 tuor partes vestium esse potuerunt. 1. Pallium. 2.
 Tunica exterior. 3. Thorax. 4. Fœmoralia cum
 calceis. Præter has postea tunica inconfutibilis, id
 est interula, seu subocula, aut camisia fabricata
 per Deiparam, ut dictum est supra.

Cætærum Aaronicos Sacerdotes extra Sacrificium
 non habuisse fœmoralia, sed tunicam solummodo,
 ac pallium, more aliorum Hebræorum, ac Gentium
 videtur sentire Menochius in Storeis centur. 2.
 cap. 19. ubi præter exempla ex Homero desumpta,
 & ex Plutarcho, & ex Svetonio de Ulyssæ, Philippo
 Macedone, & Julio Cæsare, adducit illud Noë,
 qui dormiens vino sopitus, partes verendas non o-
 pertas habebat; ex defunctis scilicet fœmoralium,
 & illud Regis Ammonitarum, qui Legatis Regis Da-
 vid prescidit vestes medias usque ad nates. 2. Reg.
 10. scilicet, in contumeliam; ut deficientibus fœmo-
 ralibus offenderent partes, quas reverendia tegit,
 & sic à populis irriterentur; quare utraque opinio
 habet probabilitatem; nisi velimus eas concordare
 dicendo; quod usque ad tempora Davidis, & Sa-
 lomonis non essent in usu fœmoralia, præcipue in
 Syria, & Palæstina, regione calida: at deinceps
 tum ob mutationem antiquæ consuetudinis in vesti-

mentis (quæ nostris temporibus tam variabilis est,
 experientia teste) tum ob diversitatem regionum,
 braccas, & fœmoralia etiam apud Hebræos, Le-
 vitas, & Sacerdotes usum obtinuisse.

Quod verò ad officia, & munia Sacerdotum veteris
 testamenti erant lexdecim sequentia. I. Sacri-
 ficia cujusvis generis facere super Altare holocau-
 tomatum, quod stabat in atrio ante vestibulum Ta-
 bernaculi, vel Templi. II. Libamina à populo ob-
 lata recipere, eaque offerre coram Domino, ut
 præcipiebatur in Levit. cap. 1. 2. 3. & 7. III. Di-
 ligenter inspicere hostias, victimasque offerendas,
 illas scrutando, & disquirendo; & si quid vitii in
 eis deprehendissent, rejiciendo; immaculatas verò
 ad Sacrificia admittendo. IV. Easdem victimas ad-
 missas maciare, excoriare, in partes secare, ab-
 luere, cremare; & nonnullas etiam coquere, atque
 comedere tunica naturam, & qualitatem Sacrificio-
 rum, de quibus infra agemus. V. Ignem sacrum
 alere, ac nutrire, subsidendo ei quotidie ligna, ut
 jugiter, perpetuè arderet super antedictum Alta-
 re holocautomatum; ut legitur in Levit. cap. 6.
 Vers. 12. VI. Bis quotidie introire in anteriorem
 partem Tabernaculi, Templive, quæ Sancta dice-
 batur, & ibi ponere thymiama, & illud adlere
 super Altare incensum mane, & vesperè; quod dice-
 batur Juge Sacrificium. Quomodo autem adoleteret,
 explicabimus infra, agentes de Sacrificiis in spe-
 cie. VII. Pariter bis ingredi in Sanctam ad accen-
 dendas lucernas, id est vesperè, quia tota nocte ar-
 dere debebant; nec non Mane ad illas extinguen-
 das, ut notat Cornel. à Lapide in Levit. cap. 24.
 Vers. 2. in fine. VIII. Singulis Sabbatis, hoc est
 septima quaque die, ponere duodecim panes calidos
 super Mensam Propositionis existentem in Sancta;
 & inde veteres remove, & comedere. IX. Con-
 servare olea Sacra, tam ea, quæ pro Sacrisunctio-
 nibus necessaria erant, quam illa pro lucernis ac-
 cendendis; nec non thymiama, seu compositionis
 incensum, & vase Sanctuarii, & quidquid ad usum
 Tabernaculi, Templive interioris usum pertineret.
 X. Involvere velaminibus Arcam, aliisque res sa-
 cras portandas à Levitis, quando movebatur Ta-
 bernaculum. Num. cap. 4. Vers. 5. sed hoc officium
 cessavit ædificato Templo. XI. Clangere buccinis
 corneis, & argenteis in casibus descriptis. Num.
 cap. 10. Vers. 1. & seqq. XII. Adjurare mulieres in
 casibus Zelotypiæ. Num. cap. 5. Vers. 11. usque ad
 finem. XIII. Discernere inter lepram, & lepram;
 inter mundum, ac leprosum, ut in Levit. cap. 13.
 & in Evangelio S. Luca cap. 17. Vers. 14. ubi Re-
 demptor, ait leprosis verbo suo mundatis: Ite, &
 ostendite vos Sacerdotibus. XIV. Facere expiationes,
 seu purificationes leprosum, puerperam, mulieris
 menstruæ, viri feminisui, & aliorum hujusmo-
 di, de quibus in Levit. cap. 12. XV. Orare pro
 populo tum in universalis, tum in particulari; de
 quo officio ait Dominus, in Osee cap. 4. Vers. 8.
 Sacerdotes peccata populi mei comederunt, videlicet
 precibus suis, & oblationibus ea debebant, atque
 conflumant, ut exponitur in cap. ipsi Sacerdotes. 1.
 quæst. 1. XVI. & ultimum, sed præcipuum Sacri-
 dotum officium, atque munus erat, studere conti-
 nuò Scripturæ Sacre; & habere perfectam scientiam
 Divinæ Legis, ut eam populum docere possent;
 juxta illud Malach. cap. 7. Vers. 7. Labia Sa-
 cerdotum custodiendæ scientiam; & legem requirent ex
 ore eorum. Unde non immerito Sacerdotibus igno-
 rantibus comminatus fuit Dominus dicens: Quia tu
 scientiam repulisti, respellam te, ne Sacerdotio fun-
 garis mihi. Osee cap. 4. Vers. 6. Quamvis hæc obli-
 gatio sciendi Legem Divinam, & instruendi po-
 pulum in ea extenderetur etiam ad alios Levitas
 inferiores Sacerdotibus, & eorum adutores; im-
 mò etiam ad Scribas, doctores laicos, ut dicitur
 infra

sacra Decif. XXIV. Quemadmodum nunc in Ec-
 clesia Catholica etiam personæ laicæ adhibentur ab Ep-
 iscopis; & Parochi in edocendis peritis Doctri-
 nam Christianam, ac iidem laici se exercentibus
 in prædicatione institutioneque concessa sunt am-
 plissimè indulgentiæ à S. Pio V. in Constitutione
 Ex debito, diei 6. Octob. 1582. nec non à Gregorio
 XIII. & Clemente VIII. & deinceps à Gregorio
 in Bulla, Ex credito diei 6. Octobris, 1607. de qui-
 bus Barbosa de Paracho cap. 15. in fine. Et Pax For-
 danus tom. 1. lib. sexto, tit. secundò. De Doctrina
 Christiana.

Ex hacque dictis circa personas Sacerdotum Aar-
 onicorum duodecim fere recolligenda, atque nota-
 ganda. Primum; quod supradicta omnia munera, &
 officia poterant exerceri pro libito etiam à Summo
 eorum Pontifice; qui immò in diebus festis, nec
 non in Calendis per singulos menses, vel quando
 aliqua sollemnitas, aut anniversaria sollemnitas à po-
 pulo celebratur, obligatus erat, personaliter ad
 Tempus accedere, & anà cum alijs Sacerdotibus
 interire Sacrificijs. Secundum notandum est; quod
 prædicti Sacerdotes non tumatim, & pro libito
 se intrudebant in functionibus Sacris, ac Sacrificijs
 peragendis, sed in sua hebdomada tantum; cum
 enim essent distincti in viginti quatuor vicibus, seu
 classibus, ut demonstratum est supra, unusquisque
 Sacerdos per duas hebdomadas annuatim; quæ con-
 tingebant vicè, & classè suæ, sub suo Principe cum
 eadem classè Sacerdotali accedebat ad Tabernacu-
 lum, Templumve, ut ibi deserviret. In anno sunt
 hebdomadæ 52. Vices autem, & classes Sacerdotum
 erant 48. Itaque per circulum una Classis ser-
 viebat per integram hebdomadam; & expletis heb-
 domadis 24. iterum prima Classis revertebatur ad
 actualè ministerium Templi; & post eam aliæ jux-
 ta ordinem suum; ut scribitur Barradas in Evangel.
 tom. 2. lib. 3. cap. 53. & Sallianus ad Annum Mundi
 3021. à num. 26. Es sequ. Tertium notandum. Et
 quoniam in unaquaque classè, seu vice plures erant
 Sacerdotes; ne qua contentio inter ipsos existeret,
 vel confusio fieret in agnoscendis functionibus, &
 Sacrificijs, prædicitur in sua hebdomadam, fors
 mittebatur etiam inter ipsos, & forte extrahebatur
 ad quæcumque ministeria obeunda in sua heb-
 domada; exempli gratia, forte extrahebatur quis
 deberet incensum adolerè, quis afferre, & auferre
 Panes propositionis; quis lucernarum curam habe-
 re, & alla in sacrificando facere. Hinc est, quod
 scriptum S. Lucas cap. 1. Vers. 8. de S. Zacharia Pa-
 tre Precursoris (ut supra innuimus) Factum est au-
 tem cum Sacerdotio fungeretur in ordine VICIS SUÆ
 ante Deum, secundum consuetudinem Sacerdotii,
 SORTE exiit, ut incensum poneret ingressus in Tem-
 plum Domini. Quartum notandum: Toto septiduo
 commorabantur Sacerdotes in exedris, & cubicu-
 lis Tabernaculi, ac Templi; tum quia tota nocte
 aderant Altari, in quo Sacrificium Vespertinum
 paulatim consumabatur. Levit. cap. 6. Vers. 9. tum
 quia non poterant deserere Sacrificium Matutinum,
 quod perdurabat usque ad Vesperam; & ideo non
 revertebantur ad domos suas, nisi expleta hebdo-
 mada; prout fecisse S. Zachariam notavit pariter
 Evangelista, dicens: Er factum est, ut impleti sunt
 dies officii ejus, abiit in domum suam. Luc. c. 1.
 Vers. 24. Quintum notandum: Quamvis omnes de-
 scendentes ab Aaronis stipite, & à duobus filiis
 ejus Eleazaro, & Ithamaro dicerentur Sacerdotes;
 non tamen admittebantur ad sacra facienda in Ta-
 bernaculo, Templumve, nisi essent initiati, &
 à Summo Pontifice consecrati; at non iniciaban-
 tur nisi in etate annorum triginta, ut ex auctori-
 tate S. Hieronymi Epist. 62. ad Theophil. & in pro-
 mio lib. 1. in Ezechielem docent Sallianus ad Annum

Mundi 2849. num. 8. & Barradas tom. 4. in Evan-
 gel. lib. 5. cap. 9. quæ ætate triginta annorum requi-
 rebatur etiam ut quis posset alios docere. Cornel.
 à Lapide in Numer. cap. 4. Vers. 3. ubi notat, S.
 Joannem Baptistam, atque ipsum CHRISTUM
 expectasse eandem ætatem, antequam inciperent
 prædicare; quia apud Hebræos id non eraticum
 alicui ante annum trigagesimum. Porro ad obinen-
 dum Summum Pontificatum attendebatur ætas qua-
 draginta annorum. Sallian. d. Anno 2849. num. 9.
 quod si Hyrcani filius eo functus fuit anno ætatis
 decimo octavo, ut refert Josephus, egit contra legem.
 Cornel. à Lapide d. cap. 4. Num. Vers. 2. Sex-
 tum Notandum: Non tamen initiabantur Sacerdo-
 tes irregulares; scilicet irregularitate corporis. De-
 scribuntur autem irregularitates in libro Levit. c. 21.
 Vers. 18. his verbis: Si cæcus fuerit; si claudus; si
 vel parvo, vel grandi, vel torto naso; si fracto pede,
 si manu, si gibbus, si lippus; si albuginem habens in
 oculo, si fugem scabiem; si impetiginem in corpore,
 vel hermissus. Omnis, qui habuerit maculam desemi-
 ne Aaron Sacerdotum, non accedet offerre hostias Do-
 mino, nec panes Deo suo. Et de istisdem disserit Cor-
 nel. à Lapide dicto loco. & novissime eruditus Vir
 Galpar Ivenin in Commentar. Historico Dogmat. de
 Sacramentis tom. 2. Dissertatione XIII. quæst. 5. c.
 5. §. 8. ubi irregularitates corporis etiam in Sacri-
 dotibus Ecclesiæ Catholice servatas fuisse à tem-
 pore Apostolorum; quamvis à duodecimo sæculo
 tantum positæ fuerint sub precepto, & in Jure Ca-
 nonico relata. Cap. 1. & cap. 2. De Corpor. Vir. Es
 cap. 2. De Clerico egrot. Septimum Notandum: Præ-
 dicti Aaronici Sacerdotes ingredi non poterant Ta-
 bernaculum, vel Templum, nisi saltem ab uno in-
 tegro die ante ab uxoris abstinentiss; & à qua-
 cumque seminis effusione mundi fuissent; quam mun-
 ditiam multò magis obligati erant servare per to-
 tam hebdomadam, in qua actualiter factas func-
 tiones peragebant, ut ex Abulensi notat Sallian.
 ad Annum Mundi 3021. n. 31. Torniell. ad Annum
 2345. num. 17. alias fiebant immundi, & egebant
 expiatione præscripta in Levit. cap. 15. Es in Nu-
 mer. cap. 19. Octavum notandum: Abstinerè debe-
 bant à vino, & à quocunque potu, qui inebriare
 potest, quousque ministrabant prædicti Sacerdotes
 in Tabernaculo, & in Templo. Levit. cap. 10.
 Vers. 9. & ibi Cornel. à Lapide, ubi rationem
 reddit hujus prohibitionis, Iubdens, Nadab, &
 Abiu credi ocessos fuisse ab igne in Tabernaculo,
 quia ebrii erant. Et Sallian. ad d. Annum 2345.
 num. 46. ubi advertit, quod non erat dura prædici-
 ta vini abstinentia; quia multiplicatis Sacerdoti-
 bus, satis infrequens erat eorum ministratio. No-
 num notandum: Sacerdotes Hebræici sacrificabant, 35
 & obabant non nudo capite, sed tiara tecto; vel
 causa ornatus, & majestatis. Cornel. à Lapide in
 Exod. cap. 28. Vers. 40. Es 41. vel quia eorum men-
 tes potius ad terrena, quam ad celestia dirigebantur.
 Durand. de Divin. Offic. lib. 3. cap. 3. Es cap.
 13. n. 5. vel in signum subjectionis, & servitutis.
 Gavanti in Rubric. Missal. part. 2. tit. 2. num. 2.
 Verùm Sacerdotes novi testamenti, & in Ecclesia
 Catholica orant, & celebrant dædè capite, quia
 eorum mentes tendunt ad contemplandum Deum fa-
 cile ad faciem; & fruuntur libertate, qua Chris-
 tus eos donavit; ut ajunt prædicti DD. & quia
 nostrum caput est Christus. 1. Cor. 11. Vers. 3. Chris-
 tus autem in novo testamento est nobis manifestus,
 ac conspicuus; at Judæi in lege veteri erant velatus,
 & absconditus. Idcirco si quis celebraret Missam
 opeito capite, peccaret mortaliter, & esset excom-
 municatione plendendus. Cap. Nullus Episcopus. De
 Consecr. dist. 1. Et quamvis Sa in Apobissim. Verb.
 Missa num. 17. dicat, quod Episcopus potest dare
 licentiam, si iusta sit causa, & cesset scandalum,
 ut Sa-

36 ut Sacerdos Sacrum faciat capite cooperto usque ad consecrationem, contrarium tamen est tenendum, tum quia Episcopus non dispensat contra Canones, & decreta Conciliorum generalium. Joan. Andr. & Hostien. in cap. 1. de Supplen. neglig. Prelat. Sylvester Verb. Dispenfatio quest. 11. tum etiam quia soli Papæ reservatum est concedere usus Pileoli in Missa, ut ex pluribus Decretis S. Congr. relatis à Gavant. d. part. 2. tit. 2. num. 2. à Bisio in Hierurg. Ecclës. tom. 1. Verb. Biretum num. 109. à Barbola de Parocho cap. 11. num. 36. & à Quarto in Rubr. Missal. eadem part. 2. tit. 2. dub. 3. ubi in casu urgentis necessitatis, in quo recurfus non sit facilis ad Sedem Apostolicam, atque scandalo cessante, videtur concedere non esse peccatum uti pileolo, usque ad consecrationem; immo Gobat. in Theolog. Experiment. trad. 8. num. 680. ait, non esse illicitum patienti debilitatem capitis sacrum facere cum capillio assumptio, vulgò Perucca, si ita sit capitum Sacerdotis conformatum, ut ab aspicientibus habeatur pro naturali, ob eam rationem; quòd Perucca non deponitur nec coram ullo Rege terreno; nec coram Rege sæculorum, quando Hic vel attollitur, vel sumitur in Sacramento. Cogitet pius Lector, an in Italia talis opinio sit ad praxim recedenda? & videat, quæ scribam infra Decif. L. n. 38.

39 Chineses quidem toto tempore Liturgiæ tenent caput reclinatum, quia apud ipsos stare cooperto capite est signum honoris, & reverentiæ. Idem Gobat. trad. 3. num. 385. *Decimum Notandum*: Sacerdotes legis antiquæ nudis pedibus in Tabernaculo, atque in Templo ministrabant. Cornel. à Lapid. in Exod. ca. 30. vers. 19. & 20. Salian. ad Annum Mundi 3444. num. 573. vel ad imitationem Moysis, qui collocutus cum Deo in monte Sina iussus est deponere calceamenta. Exod. cap. 3. vers. 5. vel ad servandam munditiam pavimenti Sacri: ad quem effectum tenebantur lavare manus suas, ac pedes, quando ingreffi erant Tabernaculum, & accessuri ad Altare. Exod. d. cap. 30. vers. 20. ad quorum exemplum etiam nunc Turcæ, & Saraceni deponunt calceos, dum ingrediuntur Meschitas. Nostri vero Sacerdotes celebrant calcæati, non nudis pedes, tum ob verecundiam, tum quia sunt milites Christi, quos decet esse calcæatos; immo decretos, ut parati semper sint ad bellum contra demones, & ad evangelizandum, juxta illud Apostoli ad Ephes. cap. 6. vers. 15. *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*; quamvis secluso contemptu, vel scandalo, nullum esse peccatum litare nudis pedibus, quia de hoc nullum reperitur præceptum, docent Suarez part. 2. disp. 82. sect. 3. Emin. Card. de Lugo de Eucharisti. disp. 20. num. 102. & Laym. lib. 3. trad. 5. cap. 6. num. 14. *Undecimum notandum*, 41 prohibebantur Summi Pontifices, & Aaronici Sacerdotes suas vestes scindere. Levitic. cap. 10. vers. 6. & cap. 21. vers. 10. quocirca Caiphas, qui eas scidit, dum CHRISTUM interrogaret, peccavit in legem, & de eo sic notat Eminent. Card. Baronius ad Annum Christi 34. num. 73. Caiphas, lege contempta, quo ceterorum astantium animos in Christi perditionem magis, ac magis concitaret, furore quadam percitus, primis Summorum omnium Pontificum (quorum sit memoria) sic sua vestimenta concidit. Erat enim mos apud Hebræos ad ostendendum dolorem animi vehementem scindere vestes; ut fecit Jacob, cum sibi dictum fuisset, Iosephum filium suum à fera pessima esse devoratum. Genes. cap. 37. vers. 34. & David, cum sibi nuntiata esset mors Saulis, & Jonathæ, 2. Reg. cap. 1. vers. 11. Et alii plures, etiam Gentiles, de quibus Menochius in Hist. Sacra lib. 7. cap. 10. num. 3.

Sed dicit aliquis: Quomodo Judæi scindebant unice istu sibi vestes? Nonne sive lineæ, sive laneæ sint; ita fortes sunt, ut manibus hominis, teste ex-

perientia, frangi, rumpi, & scindi non valeant? Curiosè huic interrogationi responderet tripliciter. Primò, quòd scindere vestes nil aliud erat, nisi eas à pectore ad talos aperire. Sive enim clauduntur globulis, ut sunt vestes Prælatorum, & Presbyterorum; sive concluduntur strophis; impetu manuum non est grave illas aperire; prout opinatus est Jo. Hieronymus Soprani de Re Vestiarum cap. 2. §. 10. Hæc secundo, quòd Vestes erant è Serico petenitæ, ut absque difficultate in frustra possent distampi. Vel tertio, quòd in crumena cultros parvos, aut forcipes tenebant, quibus adhibitis vestes etiam laneæ, fortes, & duplices scindebantur.

Duodecimum tandem Notandum concernit eorumdem Summi Pontificis, & Sacerdotum alimenta, quibus sustentabantur; in defectu agrorum, quos possidere non poterant. Erant autem alimenta frequentia. I. Decimæ universales totius terræ Promissionis ex quibuscumque bladis, visis, oleis, fructibus, herbis, lignis, ac artificijs; sed hæc decimæ exigebantur à Levitis non Sacerdotibus, apud quos remanebant pro eorumdem Levitarum sustentatione; soluta tamen decima parte eorumdem decimarum ipsi Sacerdotes, qui secundum veriorum opinionem, de eadem decima decimæ competentem, magnamque portionem Summo Pontifici refundebant. S. Hieronym. in cap. 45. Ezechiel. Ioseph lib. 4. Antiquit. cap. 4. Riberia lib. 2. de Tempore cap. 2. Et Cornel. à Lapid. in lib. Num. cap. 18. Vers. 27. II. Stipendium erant Victimæ omnes, quæ de præcepto madabantur in Sacrificio, ut de præcepto comedendæ erant uxoriibus, ac filiis eorumdem Sacerdotum. Levit. cap. 10. Vers. 14. & Deuterium cap. 12. Vers. 18. & cap. 16. Vers. 11. III. Ultra victimas mandandas de præcepto fruebantur Sacerdotes hostiis, quæ ex devotione populorum, vel ex voto sponte erant ipsi ad sacrificandum largitæ. Num. cap. 18. Vers. 11. & libi Cornel. à Lapid. IV. Habebant Primitias omnium fructuum. Differebant autem Primitivæ à Decimis, nam Primitivæ erant primi fructus Decimæ erant decima pars omnium fructuum. Quadupliciter erant solvebantur Primitivæ. Primitivæ piccarum de secundæ Azymorum. Levitic. cap. 23. cap. 10. Primitivæ panium in Pentecoste. d. cap. 23. vers. 17. Primitivæ aliorum panum, quos dabant Sacerdotibus per singulas hebdomadas. Numer. cap. 15. vers. 21. Et Primitivæ in mensis septimo in festo Tabernaculorum de omnibus frugibus, tam exgranis, quam ex vis. Cornel. à Lapid. d. cap. 18. Numer. vers. 12. ubi doctè advertit, quòd licet harum Primitiarum quantitas non esset à Deo definita; tamen ex universalis consuetudine erat intra quadagesimam, & sexagesimam partem; itaut nisi Primitivæ essent majores quadragesima parte, non possent esse minores sexagesima. S. Hieronym. in Ezechiel. cap. 45. Abulens. in cap. 18. Numer. quest. 142. & Riberia de Templo lib. 3. cap. 2. V. Stipendium Sacerdotum erant quæcumque Oblationes, de quacumque re, quæ sive ex voto, sive ex mera devotione Laicorum fiebant Templo, & ministris ejus. Numer. cap. 18. vers. 14. VI. Tandem Stipendium Aaronici Clerici erant Primogenita tum quoruncumque animalium, tum ipsorum hominum; cum his tamen differentijs, quòd Primogeniti hominum redimebantur à genitoribus suis quicunque scilicet; unis autem scilicet erat libr. quinque; ut diximus supra Decif. XIX. num. 12. & notat Salianus ad Annum 3568. num. 88. Primogenita animalium non immundorum, nempe Bovis, Ovis, & Capræ, non redimebantur;

banantur; quia litabantur Deo in Sacrificio, cum combustione Sanguinis, & adipis; ac carnes cedebant pro alimento Sacerdotum. Cætera autem Primogenita quoruncumque animalium immundorum, nempe Equi, Aßni, & similibus redimebantur pecunia juxta æquivalentem eorum valorem; Et cum hæc primogenita essent multiplicia; magna etiam erat summa denariorum, quam Sacerdotes ex eis colligebant, & sibi ipsis appropriabant, ut differit Cornelius à Lapid. d. capitulo 18. Numer. vers. 16. & sequentibus. Et hi omnes erant redditus, quibus sustentabantur Levitæ, & Sacerdotes veteris Testamenti.

- 22 Nathinæ quinam essent, & cur Levitis servierent?
- 23 Fœdera ab antiquis fiebant prævio cibo, & potu.
- 24 Georgius Cornelius Episcopus Patavinus Anno 1644. quomodo pacificaverit homines septem Communium suæ Diocesis?
- 25 Cardinalis Cornelius Anno 1697. à Legatione Lusitana vocatus à Papa Innocentio XII. ad Purpuram, & ad Episcopatum Patavinum.
- 26 Scribæ quinam essent in lege Mosaica?
- 27 Scribæ erant de omni Tribu, & quavis laici poterant explicare legem divinam populo, & num. 30.
- 28 Tribus Simeon quare dispersa inter alias Tribus?
- 29 Scribæ, & Rabbini secundum aliquos erant de Tribu Issachar.
- 30 Templum an intrarent Scribæ, ut decerent populum?
- 31 Synagoge erant ampla edificia, in quibus Scribæ explicabant Legem Divinam.
- 32 Scribæ, & Rabbini in porticu Templi docebant populum.
- 33 Discipuli sedebant ad pedes Magistri, eo docente.
- 34 Scribarum ambitio, & vanagloria.
- 35 Concupiscere mulierem inculpam, peccare, & vindictam sumere, non esse peccatum Scribæ docebant.
- 36 Talmudici Rabbini appellatur Chachamin.
- 37 Talmud liber quid continet ex Decano Criminalista, & publico Lætere in Archigymnasio Patavino?
- 38 Rabbinorum errores, & delictamenta 38. contenta in libro Talmud. & num. 40.
- 39 Talmudicos libros igne consumptor Vegetii Anno 1533. ex Decreto Excellent. Magistr. contra blasphemias.
- 40 Constitutiones Pontificie contra libros Taludicos.
- 41 Pharisei quinam essent? Qui adoptarentur inter illos?
- 42 Collegia DD. Juristarum, & Philosophorum Paduæ non aggregant in se nisi Doctores Nobiles.
- 43 Phariseorum vitia, & errores.
- 44 Phariseorum secta subdivisa in alios sectas.
- 45 Phylacteria Phariseorum, quid essent?
- 46 Saducei quinam essent? Unde sic dicti? Quinam eorum errores?
- 47 Saduceorum secta amplissima, nam vergebat in Epicureismum, & Atheismum.
- 48 Nazareni quinam fuerint?
- 49 Nazareni servabant quinque regulas. Et quas?
- 50 Chencha qui sint?
- 51 Nazareni fuerunt figura nostrorum Regularium.
- 52 Joseph Patriarcha an fuerit Nazareus?
- 53 Ablalon an fuerit Nazareus? An sibi aliquando tonderet capillos?
- 54 Christifili an fuerit Nazareus? An sibi aliquando tonderet capillos?
- 55 Rechabite quinam essent? Quæ eorum tria vota?
- 56 Monastica, & Regularis vita an ortum habuerit à S. Elia?
- 57 Rechabitarum mirabile experimentum jussu Dei factum.
- 58 S. Elias, & Eliseus emiserunt tria vota Religiosa.
- 59 Esseni quinam essent? Quando inceperint?
- 60 Eunuchos facere prohibitum erat Hebræis tum homines, tum animalia.
- 61 Esseni erant Monachi Christiani à S. Marco instituti.

DECISIO XXIV. ARGUMENTUM.

De aliis Levitis, Caathitis, Gersonitis, & Merariis, qui inserviebant Tabernaculo, ac Templo, & de eorum ministerijs. De urbibus Levitarum, atque eorum agris suburbanis, emptitiis, & votivis. De Nathinæ servis Tabernaculi, & Templi; ac de religiosis sectis Scribarum, Phariseorum, Saduceorum, Nazareorum, Rechabitarum, Essenorum, Assidzeorum, Dositheorum, Hemerobaptistarum, & Herodianorum. Circa quos omnes Origo, Virtutes, ac Vitia demonstrantur.

SUMMARIUM.

- 1 Primogenita omnia à Deo sibi reservata. Et cur?
- 2 Tribus Levi mancipata Deo in ministerium sibi.
- 3 Levite numerati in deserto erant viginti duo milia.
- 4 Primogenitorum numerus major, quam Levitarum in deserto.
- 5 Levite destinati ad Divinum servitium, & quomodo consecrati?
- 6 Ritus, & Ceremonie omnino in consecratione Levitarum.
- 7 Levite per desertum deferebant totum Tabernaculum sacrum.
- 8 Levi habuit tres filios, Caath, Gerson, & Merari.
- 9 Tres familiae, seu Columnelli Levitarum, Caathite, Gersonite, & Merarite.
- 10 Moyses, & Aaron erant de progene Caath filii Levi.
- 11 Sacerdotium Hebræorum firmatum fuit à Deo in progene Aaronis; itaò omnes Sacerdotes erant de Tribu Levi; sed non omnes Levitæ erant Sacerdotes.
- 12 Delatio Tabernaculi, & Arca fœderis pro parte divisa inter Levitas.
- 13 Caathite tamquam nobilioribus portabant sanctiora de Tabernaculo: sed velis involuta.
- 14 Gersonite portabant opera Tabernaculi.
- 15 Merarite deferebant tabulas, & columnas Tabernaculi.
- 16 Levite per desertum excubiæ circa Tabernaculum tota nocte faciebant; & laudes Deo cantabant.
- 17 Levite ab anno trigesimo usque ad quinquagesimum serviebant Tabernaculo.
- 18 Levitarum munia sex post edificatum Templum.
- 19 Levitis civitatis 48. datae ad habitandum; cum campis suburbanis passuum mille per agrum.
- 20 Levite habebant agros emptitiis, vel ex voto, aut piti legatis relictos.
- 21 Levitarum divitiæ, & opes magnæ. De Sacrificio Missæ.